Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Ibidem ca. xi. Quid aliud dicor salus indetur
esse quam probitas
Idem libro divisionum. Habitus mentis hominis optimus
virtus est.
Baldo iiii. fabula.
Nec ope lorice non egebit acuminis lince
Morte nec hostili divesque innamine pili
Solo virtutum que constat robore tutum.
Gualterius de castellione libro primo.
Que virtus tollit habet quod preferat auro.
Henricus samariensis libro primo parte ii.
Migrat in exilium virtus viciumque triumphat.
Regnat et in populis grande tribunal habet.
Ricardus iudex veneciensis
Diviciis probitas virtus preponitur auro.
Non est mendicus qui probitate viget.
Est virtus numquam posse fugare nequit.
Bellinus in speculo vite parte primo ex primo.
Nascitur ex vicio vicium. de omine ceterum.

De felicitate beatitudine et summo bono ca. iiii.

Psalmista psalmo primo. Beatus vir qui in cathedra pestil-
entie non sedit. Idem. cxviii. Est qui velit
miser et infelix esse ne umquam michi videtur.
Cronica de nugis philosophorum ca. ii. s. de Thalete.
Thales qui primus sapiens nominatus est secundum
quem et septem sapientes nominati sunt interroga-
tus quis felix. ait qui sanus de corpore et
anima vere copiosus. natura autem docilis.
Aristoteles Ethicorum libro primo ca. iii. Simpliciter utique perfe-
ctum bonum est secundum se ipsum eligibile semper et numquam
propter aliud tale. Itaque felicitas esse videtur perfectum
quod videtur et per se sufficiens felicitas operatorum
existens finis. Ibidem iiii ca. Optimum et pulcerri-
mum et delectabilissimum est felicitas. Non omnis fe-
lix est qui specie turpissimus vel ignobilis vel so-
litarius vel sine prole. Ibidem ca. iiii. Quid pro-
hibet dicere felicem secundum virtutem perfectam operantem
et exterioribus bonis sufficienter dictatum.
Ibidem ca. viii. Felicitas est operatio quedam secundum vir-
tutem perfectam. Idem libro vii ca. xiiii. Indiget
felix hiis que in corpore bonis et hiis exterius et
fortuna ut non impediat hoc. Ibidem libro viiii.
ca. ix. Felix esse est bene vivere et operari.
Idem libro x et fine ca. xxvii. Videtur felix vita
secundum virtutem esse felicitas est secundum virtutem operatio.
Vita felix est secundum virtutem operans vero et anaxa-
goras non divitem neque potentem existimare felicem
esse. Est sapiens maxime felix.

Idem magnorum moralium libro primo ca. primo. Felicitate ad-
veniente nullo alio indigemus. Felicitatem esse
dicimus bene operari et bene vivere. Bene vivere et bene
operari nichil aliud quam felicitatem dicimus ergo feli-
citatem. Quid est felicitas? bene vivere est. In usu
quidem et actu est felicitas. Felicitas est in vivendo
secundum virtutem. Optimum bonum est felicitas et hec finis
actu. Vivientes secundum virtutem felices erimus et
habebimus perfectum bonum et finem. Ibidem ca. ii.
Perfectione virtutis actus est felicitas.
Ibidem ca. xxviii. Felicitatem terminamus et dici-
mus esse virtutis actum in vita perfecta. Non est
felicitas absque delectatione. Ibidem ca. vii. Ab-
sque exterioribus bonis quorum domina est fortuna
non contingit esse felicem.
Idem rhetoricorum libro ii ca. xxi. Non est vere
qui in omnibus feliciter.
Idem politicorum libro vii ca. vi. Felicitatem sine
virtute impossibile est existere. Ibidem libro viii.
ca. ii. Oportet habere non solum quod bonum est sed et delecta-
tionem. Felicitari enim ex ambobus hiis est.
Idem de bona fortuna ca. primo. Felicitas non est sine
exterioribus bonis.
Virgilius in Georgicis.
Felix qui potuit rerum cognoscere causas
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subiecit pedibus strepitumque acherontis avari.
Tullius de fine bonorum et malorum libro ii. Omnis
summa philosophie ad beate vivendum refertur. Sapiens
semper beatus est. Ibidem libro iii. Illud solum bea-
tum est quod honestum est. Idque est beate vivere
idest cum cum virtute vivere. Ibidem libro v.
et fine. Consequens est beatam vitam virtute esse con-
fectam. Ibidem. Beata vita virtute conficitur. Virtus
ad beate vivendum se ipsa contenta est.
Seneca epistolarum ad lucillum libro ii epistola prima. Non
est beatus qui se esse non putat. Ibidem libro viii.
epistola. Apud Epicurum duo bona sunt ex quibus
summum bonum componitur ut corpus sine dolore sit
et animus sine perturbatione.
Idem de beata vita. Beatus est is cui omnem habitum
rerum suarum ratio commendat.
Idem de remediis fortuitorum ca. xxi et fine. Felix
est qui non aliis videtur sed qui sibi.
Idem in proverbiis. Nulla est tam bona fortuna de qua
nil possit queri.
Valerius maximus libro vii in. de felicitate. Quan-
tum metellum nasci in orbe terrarum principem voluit
fortuna. parentes nobilissimos ei dedit. Adiecit
animi rarissimas dotes et corporis vires ut su-